

DOR(IAS). istuc pol vero beně. *PY*. ubiſt? *PH*. rogi- 675
tas? non vides?

PY. videam? obsecro quem? *PH*. hunc scilicet. *PY*.
quis hic est homo?

10 *PH*. qui ad vos deductus hodiest. *PY*. hunc oculis suis
nostrarum numquam quisquam vidit, Phaedria.

PH. non vidit? *PY*. an tu hunc credidisti esse, obsecro,
ad nos deductum? *PH*. namque alium habui neminem. 680

PY. au

ne comparandus hi(c)quidem ad illumst : ille erat

15 honesta facie et liberali. *PH*. ita visus est
dudum, quia varia veste exornatus fuit.

nunc tibi videtur foedu', quia illam non habet.

PY. tace obsecro : quasi vero paullum intersiet. 685

ad nos deductus hodiest adulescentulus,

20 quem tu videre vero velles, Phaedria.

hic est vietu' vetu' veterinosus senex,

colore mustelino. *PH*. hem quaě haęc est fabula?

ēo rediges me ut quid egerim egomet nesciam? 690

eho tu, emin ego te? *DO*. emisti. *PY*. iubě mi denuo

25 respondeat. *PH*. rogā. *PY*. venisti hodie ad nos? negat.

at ille alter venit annos natu' sedecim,

quem secum adduxit Parmeno. *PH*. agedum hoc mi expedi
primum : istam quā habes unde habes vestem? taces? 695

monstrum homini', non dicturu's? *DO*. venit Chaerea.

30 *PH*. fraterne? *DO*. ita. *PH*. quandō? *DO*. hodie.

PH. quam dudum? *DO*. modo.